



M. g. 5

~~als 1. u. 2. Bd.~~

Auss. 1. u. 2.

Part. VI

2. F. 15.

DE CONIV-
GIO PIÆ COMMOR-

NEFACTIONES, COL-
LECTÆ A PHILIP-
PO MELAN-
THONE.



DE COMEDENTI

DE FORTI.



EXIVIT CIBVS,

ET DULCEDO

VVITEBERGÆ

EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

M. D. LIIII.



1111

DEO OMNIBUS
Gloria et honor
et virtus
et dominatio
in seculum
amen

DEO OMNIBUS
Gloria et honor
et virtus
et dominatio
in seculum
amen

DEO OMNIBUS
Gloria et honor
et virtus
et dominatio
in seculum
amen

1



phi
ma
nuis
cen
con
tila
dein
utri
aspi
bras
cont
loso
tibu



INTEGERRIMO VI

RO PETRO MEDMAN

NO PHILIPPVS ME

LANTHON

S. D.



SITATVM EST IN

Academijs enarrare iu-
uentuti libellos Aristote-
lis, quibus propter qua-
lescunque descriptiones
uirtutum, tribuit titu-
lum Ethica. Etsi autem
non solum ille philoso-

phicae inuestigationes, sed uniuersa sapientia hu-
mana de uirtutibus in hac nostra caligine, te-
nui & obscura umbra est uerae sapientiae lu-
centis in mente diuina, & de qua uox diuina
concionatur, tamen haec quamuis exigua & mu-
tila initia cognoscere eo est utile, quia collatio
deinde cum diuinis libris aliquid lucis adfert
utriq; generi doctrinae. Cum nos ipsos utcunq;
aspicimus, & euoluimus pectora nostra, ac tene-
bras, stulticiam & errantes cupiditates in nobis
contemplamur, deinde etiam cum uidemus phi-
losophos nihil de uoluntate Dei, nihil de ijs uirtu-
tibus dicere, quae copulant homines cum Deo, &

A 2 que

P R Æ F A T I O.

que sunt flammæ diuinæ non morituræ, magis æ-
gnoscamus & deploramus nostram infirmitatem
& sordes nostras.

Ac imago illustris proposita est in historia
lapsus primorum parentum, qui cum antea fuisset
domicilium Dei, et fulsisset in eis filius Dei,
tanquam Sol ueræ uirtutis flammæ in eis spar-
gens, & fuisset in tota natura congruentia cum
mente & uoluntate Dei, postea excusso Deo, cū
iam in mente caligo esset, & multis letalibus
uulneribus natura sauciata esset, folio ficus te-
gunt non cætera membra, in quæ omnia uirus
iam influxerat, sed unius partis deformitatem.

Huic folio ficus similia sunt hæc tegumenta,
disciplina & uirtus humana, & ipsa philoso-
phia, & leges humane. Quid est autem hoc fo-
lium ficus si conferas ad illum Solem antea in na-
tura hominum lucentem? Hæc sæpe cogitanda
sunt, & in ipso uestibulo librorum Ethicorum
pingenda erat hæc imago primorum parentum
trepidantium & se folio ficus tegentium.

Etsi autem stulticiam & uulnera nostra æ-
gnoscare, & ueris gemitibus & lacrymis deplo-
rare, & ad filium Dei, qui est ἰκέτης pro nobis
apud

P R Æ F A T I O.

apud æternum Patrem confugere debemus, ut uox Euangelij docet, tamen in hac communi imbecillitate etiam pædagogia & qualibuscunque frenis opus est. Nomina uirtutum & uiciorum utcunq; discernenda sunt, & ostendendum quæ partes quomodo coerceri possint. Vult Deus talem aliquam esse disciplinam, non uult homines Cyclopico more sine ordine uiuere, & omnibus cupiditatibus laxare frenos. Reliquit in omnibus libertatem in ea parte, quæ regat motus externos, quam Loco motiuam in scholis nominant, quam seuerissime præcipit coerceri, & horrendis pœnis declarat iram cum eam non frenamus. Et regi eam aliquo modo posse, ut dixi, uoluit, cum & libertatem in ea reliquit, & propositis premijs & pœnis excitat animorum intentionem & uigilantiam. Et fit hæc gubernatio felicior cum accedit inuocatio filij Dei.

Hæc igitur studia discipline regendæ, nequaquam abiicienda sunt, & suus locus discipline & umbris uirtutum tribuatur, & ab illa uera & uiua luce discernatur, quam intelligemus tunc cum coram aspiciemus Deum fontem sapientie & uirtutum.

In hanc sententiam sepe moneo distinguenda esse

A 3 da esse

P R Æ F A T I O .

Haec est doctrinarum genera, Legem, Euangelium, Philosophiam, & quasdam falsas philosophorum opiniones refuto, Adiungo etiam explanationes quarundam disputationum, quarum cognitio utilis est omnibus in disciplina, seu gubernatione morum, & preparat iuniores ad reliquam doctrinam copiosiore. Ita & communem doctrinam Ecclesiae Dei de Coniugio in his Ethicis libellis breuiter complexus sum. Omnibus enim oportet notissima esse praecepta Dei, quae prohibent libidinum confusiones, & sanciant coniugium, & ostendunt horrendam iram Dei aduersus omnes in toto genere humano, qui ordinem ab ipso sancitum uiolant. Et ijs qui praerunt Ecclesijs, utile est nosse de quibus controversijs Pastores plerunq; consulantur, qui cum antea de magnitudine harum rerum praemoniti sunt, minus temere pronunciant.

Propter has causas & has breues admonitiones tradidi. Nec fero leges, sed difficultatem ostendo, & saepe moneo, ne quis gloriosum putet ἰδιοβελείαν, & priuato iudicio statuere, sed ad eundos esse iudices in ijs locis, ubi recte constitutum est forum. Ac diligentius moneri discētes opus est, quia magna ex parte magistratus politici in defensione castitatis et cōiugij ualde segnes sunt.

P R Æ F A T I O.

Sunt. Episcopi uero etiam iniustis legibus & sententijs confirmant multa magna scelera in hoc genere. Neesse est igitur discentes moneri, quæ leges & quæ iudicia cum uoluntate Dei congruant. Et quanquam nec castitatis, nec aliarum uirtutum magnitudo satis intelligitur, tamen omnis uera commemoratio de Castitate Deo grata est, & multis utilis. Indidit enim Deus omnibus Angelis & hominibus noticias uirtutum, & in his intellectum castitatis, quia uult intelligi qualis sit ipse, & se discerni uult à malis & immundis naturis, uult etiam nos cum sua sapientia & uoluntate congruere. Idco uult nos huic suæ normæ obedire.

Facit autem illustre discrimen Castitas. Nec Deum, nec hostes Dei diabolos cernis oculis corporis, Sed mente facienda est firma distinctio, consideratis proprietatibus. Deum agnoscis omnipotentem, sapientem, bonum, beneficū, æqualem, iustum, iudicem, castum, ueracem, misericordem, liberrimum, qui se patefecit talem, & Filium nobis redemptorem misit, qui & harum uirtutum congruentiam cum DEO, in nobis restituit. Hæc de eo cogitare & celebrare in Inuocatione oportet, & hunc DEVM in Inuocatione alloqueris, & segregas eum ab omnibus

A A spura

P R Æ F A T I O.

Spurcis & pollutis naturis, execraris diabolos
hostes Dei, mendaces & spurcos, qui impellunt
miseram hominum naturam ad libidinum con-
fusiones, qui in omnibus rebus ordinem à Deo in-
stitutum, & honestam uitæ societatem turbant,
qui sedicionum, cædium & multorum furorum
in genere humano faces sunt, ut quàm plurimos
auellant à Deo, & in æternum exitium rapiant.
De hoc discrimine quotidie cogitare pios neces-
se est.

Cognoscenda est & amanda Castitas, quæ
perspicue distinguit Deum ab omnibus immūdis
naturis. Quante fuerunt in ethnicis tenebræ, in
quibus hoc discrimen diabolus magna ex parte
extinxit. Sit igitur in conspectu uera doctrina,
& sæpe repetatur in Ecclesia, in scholis, in fami-
lijs, in exemplis publicis iudiciorum, ne redeant
ethnici furores. Est autem castitas uel in celibe
uita sine incendijs libidinum, & sine ullo seminis
abusu, & sine ulla commixtione uiuere, uel in
Coniugio seruare ordinem mirando Dei consilio
institutum. Nam & hæc societas casta est, quia
diuina sapientia ordinata est, & manere intra
metas quas Deus circundedit, debet.

Hunc ordinem cum instituerit, horrendas
pœnas etiam sanxit, ut conspici eius uoluntas
possit.

P R Æ F A T I O.

possit. Expressa uoce mandata dedit gubernato-
ribus, ut ex uita tollant cōtaminatos adulterijs,
aut alijs libidinibus cum natura pugnantibus.
Sed etiam cum magistratus horum scelerum iu-
dicia negligunt, ut semper fuit, est et erit magna
& flagiciosa in hoc præsertim genere negligen-
tia, tamen Deus ipse castus & iustus, sine ulla du-
bitatione punit fontes, ut exempla in quotidiana
uita ostendunt. Et ne existimemus pollutos rue-
re in exitium casu & sine consilio Dei, multa
sunt in diuinis dictis & historijs testimonia pro-
posita, quæ expresse adfirmant, diuinitus hæc
scelera puniri, ut scriptum est: SCORTA-
TORES & adulteros punit Deus. Et in dele-
tione Sodomæ expresse dictum est: PLUIT
DOMINVS signem et sulphur à DOMINO
de cælo.

Fit hic mentio & æterni Patris & Filij, ut
singulari deliberatione diuina, non casu rem tan-
tam actam esse uniuersa posteritas cogitet, &
exemplo moneri omnes homines, & omnes gen-
tes sciamus. Haud dubie ingens ira est, cum ipse
filius Dei minister est huius horrende pœnæ.
Semper multa magna scelera grassantur in gene-
re humano, errores de Deo, periuria, iniusta cæ-
des, furta & mendacia, Sed sæpe publicarum ca-

A 5 lami-

P R Æ F A T I O.

Calamitatū proximæ causæ sunt, & quasi προκαταρκτηκοὶ, libidines, ut Troiæ delendæ occasio fuit scelus Paridis. Romæ expulsi sunt reges propter tyrannum, qui Lucretiam ui compresserat.

Davidis calamitates ab adulterio ortæ sunt.

Thebanis magna mala attulerunt primum Chryssippi raptus, postea & incesta consuetudo sapientissimi regis Oedipi cum matre. Deniq; nusquam desunt exempla. Quam multos recitare præstantes nobilitate & ingenijs possemus, qui nostra memoria in ipsis thalamis inter adulteria interfecti sunt.

Intelligamus igitur uoluntatem Dei immotam, & ordinem ac eo institutum. Audiamus uocem diuinam, & intueamur pœnas, ac reuerenter Deo obtemperemus, & sciamus eum hac obedientia coli uelle. Ac certum est hac uirtute multa magna mala uitari. Nam magna pars calamitatum humanarum à libidinibus oritur. Et peccata seminis plerunq; Deus in semine, id est, in posteritate punit. Et regula seruatur, εἴκεν ἅδοι τὰ ἔρεξε, δ' ἴκκ' ἰδέσθαι γένοιτο. Et in libro Sapientiæ scriptum est, Per quæ peccat homo, per eadem punitur. Διὰ ὧν τις ἁμαρτάνει, διὰ τούτων κολάζεται.

In hac commemoratione pœnarum simul castitas

P R Æ F A T I O .

Stitas & iusticia Dei celebrantur, & aliqui in-
uitantur, ut maiore cura uitent hæc scelera, &
calamitates quæ ordine diuinitus sancito sequun-
tur. Hæc tota sapientia de Castitate, quare Deus
eam intelligi uelit, quomodo eam sanxerit, quare
pœnas delinquentibus ordinauerit, comprehen-
sa est in dicto in primo libro Moisi, ubi scriptum
est, Dixit D O M I N V S, Non est bonum
homini esse solum, Faciam ei adiutorium simile.
Cum enim addit præfationem, Dixit D O M I-
N V S, significat grauißima deliberatione hunc
ordinem institutum esse, ut hoc modo genus hu-
manũ cõsociaretur et propagaretur, et ut uincu-
la certa et metæ cõsociationis essent, & punire-
tur huius ordinis turbatio. Iam cogita, quantum
scelus, & quantus furor sit, non solum turbare
hunc ordinem, D I C E N T E D E O, id
est, arcana deliberatione diuina institutum, sed
prorsus contrariam legem ferre. Dixit Deus
ac mandauit immota lege, ut homines in hac
imbecilli natura in coniugio legitimo caste ui-
uant.

Dicunt contra Romani Pontifices & ma-
gnæ parti hominum præcipiunt, ne uiuant in
coniugio. Quis non expauescat tantam auda-
ciam considerans, quòd miserrimi homines au-
dent

P R Æ F A T I O.

dent legem ferre, quæ expresse contraria est legi diuina. Deinde quæ scelera parit hoc Pontificium decretum. Ac sapientissime Paulus monet talium decretorum autores esse non homines, sed diabolos, qui odio Dei augent spurciciem, ut & Deo dolorem adferant, & imbecillia Dei opera contumelia adficiant, & magna hominum agmina à Deo auulsa, in aeternum exitium trahant.

Execranda est igitur illa diabolica lex uoce pontificum promulgata, quæ primum falsis et fanaticis opinionibus fucata, imposita est misere Ecclesie, nunc tyrannica barbarie stabilitur, & castitas pellitur, & negliguntur nerui disciplinae necessarij.

Cum autem Deus amet castitatem, & sua sapientia Coniugij leges sanxerit, oro ipsum unicum multis alijs uere inuocantibus eum, ut ipse nos propter Filium, Spiritu suo sancto regat, ut ad castitatem nostra pectora flectat, & tueatur Coniugia & pias familias, & eis Ecclesiam & hospitia seruet. Omnino in hac senecta mundi maiores confusiones futuras esse, quam fuerunt, uoce diuina prædictum est. Sed hæc simul nos consolatur, & adfirmat, Deus has ærumnas mitigaturum esse ijs, qui ipsum inuocant.

Custos

P R Æ F A T I O.

Custos est filius Dei Ecclesie suae, ut inquit,
Nemo rapiet oues meas ex manibus meis. Ac
certissimum est Ecclesiam Dei hunc ipsum cœ-
tum esse, qui fundamentum retinet, uidelicet E-
uāgelium de filio Dei Domino nostro Ihesu Chri-
sto incorruptum, cuius agminis uox in docendo
& inuocatio audiuntur, & conspicitur usus ri-
tuum, qui diuinitus traditi sunt, consentiens cum
Euangelio. In hoc cœtu dum sumus, & dum huic
cœtui seruimus, nec labor erit inanis, nec uota
erunt irrita. Hac nos consolatione in his confu-
sionibus rerum humanarum & in multis magnis
ærumnis sustentemus, & iuuari nos à filio Dei
certo statuamus.

Cum autem ederem has pagellas in uestibulo
nomen tuum Petre carissime adscripsi, ut ex-
tet amicicie nostrae testimonium, quam quidem
perpetuam esse uolo, & qua in illa æterna con-
suetudine cœlestis Ecclesie dulcius fruemur,
cum hanc ipsam doctrinam de DEO, & de eius
sapientia, bonitate, iusticia, & de causis mirabi-
lium operum ipsius integre cognoscemus, auto-
rem ipsum coram & intuentes & audientes, su-
am in nos sapientiam & bonitatem manifestius
transfundentem. Volo autem et de hoc scripto &
de

P R Æ F A T I O .

de cæteris omnibus quæ edidi, iudices esse omnes doctos viros & candidè iudicantes in his Ecclesijs & Academijs, quæ Confessionem exhibitant Imp:Carolo in conuentu Augustano Anni 1530 amplectuntur, quarum semper uolui communem doctrinam recitare, non uolui gignere nouas opiniones.

Cumq; in inspectione Ecclesiarum initio harum mutationum audirem dissonos multorum clamores, mediocri studio & corpus doctrinæ collegi, & in exponendis tot causis quæsiui proprietatem sermonis & eas metas, quas custodiri ad perspicuitatem & ad concordiam utile est, non hoc egi quod apud Aristophanem sophista de sese prædicat, ἐπεδύμην ἅπαντα ἑναντία τῆς γνώμης σωτὰρ ἄξιον. Sed uera & utilia discentibus simplicissime recitare conatus sum.

Ac Deum adsidue ueris gemitibus oro, ut me gubernet, & σκευὸς ἐλέσθαι faciat. Ac si quid in tanta mole & uarietate rerum, imo & in tanta confusione temporum non satis explicatum est, Semper me & mea omnia harum Ecclesiarum iudicio subieci, quòd cum faciam, monere me prius amanter debebant si qui reprehendunt

PRÆFATIO.

hendunt aliquid, quàm cum periculo publico
criminationes & calumnias spargere. Sed oro
Filiū Dei, ut hæc nostra uulnera etiā
sanet. Bene uale Petre carissi-
me, Calendis Maij,
Anno

M. D. L. I.

Pectus ut in sponso flammarum incendia sentit,
Qui uero sponsae flagrat amore suae.
Naturam sociam uero sic diligit igne
Filius aeterno de genitore satus.
Induit humano quam foedere, quo sibi nostrum
Fraterno pariter iunxit amore genus.
Iura thori Deus exemplum cum foederis huius
Esse uelit, caste praecipit ipsa coli.

DE CON- IUGIO.



CONSILIA DEI
omnia in creatione enar-
rari non possunt, sed ta-
men aliquorum operum
causam conspici Deus uo-
luit, uidelicet precipuo-
rum. Certissimum est An-
gelos & homines condic-
tos esse, ut essent aliquae naturae, quibus suam sa-
pientiam, iusticiam & ceteras uirtutes, & leti-
ciam eternam communicaret, quia bonum est
communicatiuum sui, ac ut uicissim agnosceret-
tur ipse. Transfudit igitur in mentem huma-
nam sapientiam congruentem cum sua mente,
ut in nobis testimonium extet, quod sit Deus qua-
lis sit, & q. sit iudex. In hoc opere non est obscu-
rum consilium Dei.

Nec uero querendae sunt omnium cause, &
reuerenter Deo obtemperandum est. Angelo-
rum agmina simul condidit, nec est in ea natura
propagatio. Homines aliter condidit, uoluit es-
se propagationem à paucis. Et tamen duos con-
didit initio, quia semper uult Ecclesiam, socie-
tatem

B atem

DE CONIUGIO.

tatem esse. Et uoluit in his lucere intellectum uirtutum, iusticie, ueritatis, castitatis, beneficentie, & aliarum, quia his noticijs uult discerni naturam diuinam à naturis iniustis & immundis. Non enim amplectimur Deum brachijs corporis, sed mente & fide intuendus est in inuocatione, & harum uirtutum attributione discernendus ab alijs rebus, & intuenda sunt testimonia patefactionis &c.

Facit autem illustre discrimen castitas, quia diaboli & homines sunt immundi. Ac ut discernas Deum à diabolis, semper in inuocatione cogites te alloqui castum Deum.

Sanxit igitur ordinem, & uagas libidines prohibuit, & seuerissime punit, & uult homines nosse & reuerenter tueri certas leges coniugij ab ipso traditas, quarum primæ statim in Paradiso editæ sunt.

Prior, ut sit coniugium copulatio unius maris & unius foeminae indissolubilis. Erunt duo in carnem unam, id est, unus mas & una foemina inseparabiliter iuncti. In hac uoce manifestum est omnes uagas libidines prohibitas esse. Altera de incestis. Relinquet homo patrem & matrem & adheret uxori suæ. Postea de incestis & alia leges uoce diuina additæ sunt.

Est

DE CONIUGIO.

Est ergo coniugium legitima & indissolubilis copulatio unius maris & unius foeminae, instituta diuinitus, ut agnoscamus Deum esse mentem castam, & ei in castitate seruiamus, & hoc modo propagato genere humano colligatur aeterna Ecclesia Deo. Et quidem Ecclesiae initium fuit illa prima societas duorum coniugum.

Partes definitionis.

Primum in definitione posita est particula legitima copulatio, quae restrictiones quatuor complectitur, de quibus loquuntur leges diuinae, ac deinde humanae, quarum uera est & digna reuerentia autoritas, scilicet de personis, de consensu, conditionibus, & de errore.

PRIMA RESTRICTIO de personis.

Sit notissimum Cap. 18. Leuitici, in quo recitantur personae, quas non licet coniungi. Voluit enim Deus sua sapientia castitatem intelligi, et ut intelligeretur, nequaquam uoluit uagari libidines, sed personarum numerum & gradus sanxit, & in hac uita manifestis poenis universaliter punit incestas libidines. Ac sciendum est, leges in Leuitico, quae prohibent commixtionem personarum, quae ibi recitantur,

B 2 esse

DE CONIVGIO

esse leges naturæ, & obligare omnes gentes, sicut expresse dicit textus, Ægyptios & Cananæos puniri propter incestas libidines. Ergo etiam alijs gentibus extra politiam Moisi prohibite sunt incestæ libidines.

Ac discant iuniores numerare gradus consanguinitatis & affinitatis.

Consanguinei siue cognati sunt, ut Iuriconsultus inquit, ab eodem orti & propagati. Estque consanguinitas uinculum personarum, quæ propterea, quæ ab eodem stipite ortæ sunt, sanguinis et naturæ societate propius iunctæ sunt. Discernuntur autem lineis & gradibus.

Linea triplex est, Ascendentium, descendentium, & collateralium.

Gradus est interuallum, quo cognoscitur, quæ persona stipiti propior sit. Usitata autem consuetudo numerandi gradus hoc tempore, & expeditior hæc est: Inchoanda est series ab uno stipite, ut Abraham. Supra ponantur maiores eius, infra ponantur filij & nepotes.

	Thare	
Aram	Abraham	Nachor
	Isaac	
	Iacob	
	Ioseph.	

Audant

DE CONIVGIO.

Addantur in lateribus fratres & sorores.
Traduntur autem regulae tres ad gradus discernendos.

Prima regula traditur de recta
linea, uidelicet ascendens
tium & descendens
tium.

Quot sunt personae, tot sunt gradus, una dempta, uidelicet dempto stipite, a quo inchoanda est supputatio, ut Ioseph distat tertio gradu ab Abraham, Iacob secundo, Isaac primo. Itaque filius primum gradum constituit, nepos secundum, pronepos tertium, abnepos quartum. Ac de recta linea traditur uetus sententia, Nullos ascendentes et descendentes inter se posse connubium contrahere. Quare si Adam hodie superstes esset, non posset ducere uxorem.

Secunda regula de collateralibus.

in libro 1. cap. 1.
In linea equali quoto gradu distat altera persona a communi stipite, toto gradu inter se distant. Ergo duo fratres, seu frater et soror unum gradum tantum constituunt, uidelicet primum, ut Iacob primo gradu innectus est Esau.

et hoc dicitur in 1. canonico.
B 3 **Ædus**

DE CONIVGIO.

	Æacus	
Peleus	Telamon	Phocus
Achilles	Ajax	Epeus
Pyrrhus	Eurifaces.	

Iam si vis scire, quoto gradu inter se iuncti sint Achilles & Ajax, uide unam seriem, & observa quoto gradu distet Achilles à stipite. Distat autem secundo gradu, Quare et inter se distant Ajax & Achilles secundo gradu. Ad Hunc modum facilis est sequentium personarum supputatio.

ALIUD EXEMPLVM.

	Pelops	
Pitheus		Lysidice
Æthra		Alcmena
Theseus		Hercules

Fuerunt igitur cognati materna origine Theseus & Hercules consobrini iuncti tertio gradu.

ALIUD.

Ernestus Austriacus.

Fridericus III. Imp.	Soror
Maximilianus	Ernestus Saxo. elec.
Philippus	Iohannes Elector
Carolus V. Imperator	Iohannes Fridericus primus

Nunc inter collaterales prohibita sunt conubia

DE CONIVGIO.

nubia intra quartum gradum. Olim fratrum filijs & filiabus licuit inter se contrahere connubia, etiam Romanis legibus, ut Orestes duxit consobrinam Hermionem.

Atreus

Agamemnon

Menelaus

Orestes

Hermione

Simile exemplum est in Genesi:

Bathuel

Rebecca

Laban

Iacob

Rachel & Lia

Iacob iunctus est consobrinae suae Rachel secundo gradu.

ALIVD,

Iephunne.

Caleb

Cenas

Axa

Othoniel,

Tertia regula.

linea inaequalis.

In linea inaequali quoto gradu remotior distat à stipite, toto inter se distant.

Thare

Abraham

Aram

Sara

Sara distat secundo gradu à stipite, Ergo & Abraham iuncta est secundo gradu. Hoc gradu

B A in lin=

DE CONIVGIO.

in linea inaequali prohibita sunt coniugia iure diuino, quia uniuersaliter maiorem reuerentiã deus tribui uult superiori gradui, quàm equali.

Parthaon

Oeneus

Agrius

Tydeus

Thersites

Diomedes

Diomedes iunctus fuit Thersitæ tertio gradu, in linea inaequali.

Thare

Abraham

Nachor

Isaac

Bathuel

Rebecca

Rebecca distat tertio gradu à stipite, Ideo & ab Isaac distat tertio gradu.

DE AFFINITATE.

Affinitas est propinquitas personarum, quæ sunt iunctæ copula carnali, ut David alienus est à Ionatha, sed quia duxit uxorem sororem Ionathæ, iam fit affinis Ionathæ.

REGVLA.

Quoto gradu quispiam est mihi consanguineus, toto gradu uxor eius est mihi affinis, ut frater & frater sunt iuncti primo gradu consanguinitas.

DE CONIVGIO.

nitatis, Ergo fratris mei uxor est mihi iuncta
primo gradu affinitatis.

Priamus

Helenus

Hector, uxor

Andromacha

Ergo Andromache fuit iuncta Heleno primo
gradu affinitatis.

Herodes

Herodes

Philippus, Hero-

dias uxor

Ergo Herodias fuit iuncta Herodi primo
gradu affinitatis.

Iacob

Nouerca Bala

Ruben

Ergo Ruben attigit nouercam primo gradu
affinitatis. Sed eò fuit abominabilius scelus Ru-
ben quàm Heleni, quia Ruben uiolauit patris to-
rum, cui maior reuerentia debebatur, quàm fra-
tris toro, iuxta dictum: Relinquet homo patrem
& matrem, & adherabit uxori suæ. Et cum Ru-
ben maledictus sit, manifestum est prohibitio-
nem primorum graduum esse iuris nature.

Pelops

Atreus

Thyestes

Clytemnestra Agamemnon

Ægystus

Ergo Ægystus secundo gradu affinitatis at-
tigit Clytemnestram.

B 5

Casimirus

DE CONIVGIO.

Casimirus rex Poloniæ

Sigismundus rex Poloniæ	Barbara coniunx ducis Georgij
Hedbigis posterior coniunx Marchionis	Filia, prior coniunx Marchionis

Ergo Sigismundi filia fuit consanguinea filia ducis Georgij gradu secundo. Fuit igitur Marchioni affinis secundo gradu.

Non late uagatur affinitas, nam consanguinei mei non sunt affines consanguineis uxoris meæ. Ego à consanguineis uxoris meæ abstinere debeo, et mei consanguinei debent abstinere à meâ uxore, nō à consanguineis meæ uxoris. Quare duo fratres cum duabus sororibus contrahere possunt. Non enim impediuntur affinitate. Pater et filius cum matre et filia contrahere possunt. Habent autem aliquæ personæ nomina:

Socer	Socrus
ἐκυρὸς, mariti pater,	ἐκυρὰ mariti mater,
πενδρὸς, pater uxoris,	πενδρὰ mater
Gener,	(uxoris,
Nurus,	
Vitricus,	
Nouerca,	
Pruiignus,	
Mariti frater, Leuir, δαίρ,	
Mariti soror, Glos, γαλῶς, et fratris uxor,	
	Διουρῶν

DE CONIVGIO.

Duorum fratrum uxores εἰνατέρες.

Hæ appellationes extant Iliados 6. ubi Helena Hectorem appellat δαῖρα. Postea uero Hector interrogat, an abierit aliquo Andromache ad sorores uiri, aut ad fratrum coniuges: ἤεπερ ἐξ γαλόων ἢ εἰνατέρων εὐπέπλων.

Octavius

Augustus	Octavia soror
Agrippa Iulia	Marcella.

Ergo Augustus fuit affinis Agrippæ in primo gradu, sed non fuit affinis fratri Agrippæ.

Duplex prohibitio.

SAepe repetita est hæc sententia, & sæpe cogitanda, noticias uirtutum à Deo traditas esse creaturis rationalibus, ut testetur, quòd sit Deus, & doceant qualis sit, & quòd sit iudex & uindex. Ac præcipue castitas facit illustre discrimen inter Deum & diabolum. Sanxit igitur Deus ordinem coniugij, ut castitas intelligatur, & seuerissime punit incestas commixtiones, ut Sodomorum, Cananæorum, Oedipi, Agamemnonis, Ægypti, Paridis, regum Ægyptiorum, Davidis & filiorum Davidis pœnæ ostendunt. Et uniuersaliter multæ calamitates publicæ sunt libidinum pœnæ, sicut scriptum est: Scortatores & adulteros iudicabit Deus. Tued=

MMT

DE CONIVGIO.

mur igitur castitatem maiore cura, ac de gradibus personarum prohibitis sciamus duplicem esse prohibitionem, altera est iuris diuini, altera iuris humani.

Prohibitio diuina extat Leuit. 18. quæ in re Etia linea intelligatur prohibere commixtionem inter omnes sursum & deorsum. In collateralibus prohibet primum & secundum gradum in linea inæquali, hoc est, ne frater ducat sororem, nec nepos ducat amitam aut materteram, nec neptis nubat patruo aut auunculo. Ac intelligatur textus de gradibus, non tantum de personis, ut Iudæi nugantur.

Cæterum lex diuina non prohibet connubia in secundo gradu in linea æquali, hoc est, duorum fratrum liberis concedit coniugium, ut Orestes potuit ducere Hermionem,

Agamemnon	Menelaus
Orestes	Hermione.
	Mathan
Iacob	Eli
Maria	Ioseph.

Etsi autem politia Moysi non pertinet ad nos, tamen regula uniuersaliter tenenda est, Mandata naturalia ad omnes homines, & ad omnia tempora pertinere, quia sunt normæ iusticiæ in mente & uoluntate diuina immutabiles.

DE CONIVGIO.

les. Quare & statim in Paradiso in primo gradu ascendentium & descendentium prohibitio edita est: Relinquet homo patrem & matrem, & adheret uxori suae. Et postea patrum uoce declarata est haec uoluntas Dei, ut Iacob maledixit filio, qui attigerat nouercam. Et textus in Leuitico affirmat puniri Cananeos propter incestas libidines.

Cum autem Deus puniat gentes, quae sunt extra politiam Moysi, & quae fuerunt ante Moysen, perspicuum est has prohibitiones esse aeterna & immutabilia mandata, & pertinere ad omnes homines. Ideo & Paulus punit Corinthiū, qui attigerat nouercam.

Huc addantur exempla poenarum, quae plurimae leguntur in omnium temporum historijs. Sciendum est igitur, non ualere dispensationes, ^{dispensationes} ~~que concedunt commixtionem in gradibus prohibitis~~ in eo textu Leuitici 18.

Additae sunt autem diuinis prohibitionibus & humanae quaedam in proximis gradibus, ut in secundo gradu in linea aequali, & tertio gradu, ut maiore reuerentia diuinæ prohibitiones obseruentur. Hoc consilium honestum & probandum est. Sed sciant omnes gubernatores discrimen prohibitionum diuinarum & humanarum. Diuinæ nequaquam solui humana autoritate possunt.

DE CONIVGIO.

possunt. Sed interdum probabilis ratio incidere potest, quare humane prohibitiones laxentur, quod tamen circumspecte fiat per Pastores & Magistratus, non priuata temeritate.

Reijcitur
non
humana
Ceterum prohibitiones de cognatione spiritali prorsus reijcienda sunt, qualis est, ne quis ducat eam, cuius baptismo affuit. Pertinet etiam ad officium magistratum, quolibet loco re sapienter deliberata constituere, quas prohibitiones humanas retinere uelit.

De exemplis Patrum.

Vidimus etiam multos, qui usitas leges connubiorum ideo negligebant, quia leguntur dissimilia ueterum exempla de polygamia, & de coniugijs Iacob, qui duas sorores duxit. Non est autem exemplis sed legibus iudicandum. Et in hac tanta re considerentur precepta diuina. Certissimum est legem coniugij primam in Paradiso ita sancitam esse, ut tantum unius maris & unius foeminae coniunctio esset, Erunt duo in carnem unam, id est, inseparabiliter iuncti.

Etsi autem postea Lamech discessit ab hoc ordine, & post diluuium Deus etiam in suo populo tolerauit exempla dissimilia primae institutioni,

DE CONIUGIO.

tioni, Tamen Filius Dei nos ad primam institutionem retrahit, inquit Matth. 19. Ab initio non erat sic. Et repetit dictum: Erunt duo in carnem unam. Et Paulus inquit: Vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor &c.

Præterea de gradibus cum extent iam in Leuitico prohibitiones, obtemperare his necesse est. Nec querendum est, quomodo excusandi sint Patres, Quia sancti non sunt sine uicijs, & omnes omnibus temporibus contagia quedam habemus ab erroribus & uicijs nostri temporis, Quia uero Patres uera inuocatione Deum colebant in agnitione Redemptoris, & erant fideles custodes doctrinæ, & excellebant omnibus uirtutibus, & bonam conscientiam alioqui retinebant, tales nœui tegebantur, qui iam erant eius temporis mores politici.

De consensu.

Dictum est in definitione, Coniugium esse legitimam copulationem. Hæc restrictio docet personarum discrimina esse. Itē ordinat consensum.

Primum igitur sit consensus expressus sponsi et sponsæ, ut regula sæpe repetita in iure docet, Coniugia mutuo consensu iungi. Et ab hoc consensu absint error & uolentia. Ac postea de
erro

non apparet in di, pincis no anff ...
non apparet in di, pincis no anff ...
No videtur ...

DE CONIUGIO.

errore dicam. De uolentia uero sciendum est,
non esse consensum, nec coniugia, cum persona
ui cogitur, ut promittat coniugium. Et hac in re
accidunt multa tristia errata.

De consensu parentum.

Vetusta iura ita postulant consensum
parentum in sponsalibus, ut cum non
accedit consensus parentum, concedant etiam
ante commixtionem rescindi desponsationes. Et
Ambrosius in historia Rebecca postulat consensum
parentum, idq; dicit adco honestum & natu-
rae consentaneum esse, ut Poeta quoq; idem do-
cuerint, & recitat uersus Euripidis, apud quem
in Andromacha, cum Orestes peteret conubium
Hermiones, haec respondet, eam rem pertinere
ad arbitrium patris. Versus hi sunt:

ΝΥΜΦΕΥΜΑΤΩΡ Μὲν πῶ ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς
ΜΕΡΙΜΝΑΡ' ἔξει, κούκ' ἐμὸν κρίνειν τὰδε

Nec longiorem disputationem addo, cum con-
stet in Ecclesijs harum regionum hoc seruari, ut
consensus parentum requiratur, & desponsatio-
nes iudicentur irritae refragantibus parenti-
bus. Sed ad officium iudicum pertinet conside-
rare, ubi parentes probabilem causam habeant
refragandi, ubi non sit probabilis causa.

Sciendum

DE CONIUGIO.

Sciendum ~~et~~ hoc est, post concubitum non ^{copula} ^{carualis} posse rescindi coniugia autoritate parentum, quia non est iam quæstio de futuro coniugio, ~~et~~ violata est autoritas parentum, ac fieret iniuria desertæ mulieri.

De conditionibus,

CONDITIONUM aliæ sunt honestæ, ~~et~~ pertinentes ad coniugium, Aliæ peregrinæ, nihil pertinentes ad coniugium, Aliæ turpes, Aliæ impossibiles.

PRIMA REGULA est perpetua.

CONDITIO honesta et pertinet ad coniugium, adiecta in principio contractus, si non fuerit impleta, dissolvit contractum. Quales sunt hæ conditiones: Si parentes consenserint, Si dos mihi dabitur pro nostris facultatibus conveniens. Sed cum sequitur ^{copula carualis} concubitus non expectata conditionis impletione, ea coniunctio iudicatur esse coniugium, quia personæ convenientes discedunt à conditione.

ALIA REGULA.

SI uero est conditio peregrina, non pertinet ad coniugium, ut: Ducam te, si dederis
C mihi

DE CONIUGIO

mibi centum aureos, ubi non intelligitur dotis mentio, Talis conditio intelligitur esse ociosa, et pronuntiatur pro coniugio. Talis est conditio: Ducam te, si Cæsar inferet bellum Turcis. Pronuntiatur etiam pro coniugio, cum adduntur conditiones turpes, aut impossibiles, ut: Si inuenero te uirginem. Item, Si dabis mihi Byzantium. Hæ conditiones tanquam non additæ reijciuntur, fortassis quia gubernatores sophisticant & petulantiam in decipiendo misero & imbecilli sexu prohibere uoluerunt.

De errore

Regula traditur:

Dissolui posse sponsalia & coniugium, propter errorem personæ, non propter errorem fortunæ, id est, cum dolus interuenit seu error de homine, sicut Iacob tradita est Lia pro Rachel, Sed Iacob non est usus summo iure. At propter errorem fortunæ non dissoluntur sponsalia aut coniugium, ut si qua putet sponsum esse diuitem aut nobilem, aut non habere liberos. Talis error nihil ad substantialia coniugij pertinet.

*Hoc non est de
spon
for
sed
g
hab* Vetustas de uno quodam errore fortunæ etiam pronunciauit posse dissolui contractum, uis delictet, si quis liber ignorans ducat seruam, putans sponsum esse diuitem aut nobilem, aut non habere liberos. Talis error nihil ad substantialia coniugij pertinet.

DE CONIUGIO.

trans esse liberam. Hæc constitutio prorsus politica est, & nunc, quia uetus consuetudo de seruis in Europa magna ex parte abolita est, non indiget longa disputatione. Olim uero causa fuit eius constitutionis, quia nati ex ancillis excluderentur à successione, quæ propria erat ingenuorum. Sed cum liber sciens ducit ancillam, Ecclesia non dissoluit, sicut inter Abraham & Agar uere coniugium fuit.

Alius error est, de quo difficilior quæstio est: si quis ignorans ducit ab alio compressam, aut gravidam ex alio, an liceat dissolui sponsalia & coniugium, ut sæpe petitur. Sæpe affertur hæc quæstio in iudicia, sed usitato iure pronuncietur, ut sponsus seu maritus retineat antea compressam à se uel ab alio, siue sciens siue inscius talem duxerit. Et fortassis in recentibus constitutionibus hoc sancitum est, ne facile dissoluantur coniugia, & ne armetur leuitas eorum, qui libenter uxores qualicumq; pretextu abijciunt, quoquo modo uoluntate mutata.

Nota sit igitur præsens consuetudo, de qua extant dicta expressa in iure Canonico. Sed in Deuteronomio cap. 22. alia sententia est, quæ iubet lapidibus obrui compressam ab alio, quæ postea tanquam uirgo nupsit alteri, si fuerit accusata, & uir petit diuortium.

C 2 Hec

DE CONIUGIO.

Hæc fuit uetus seueritas in lege diuina, quam aliquantisper & aliæ gentes sapientiores imitæ sunt. Creusa apud Euripidem grauida nubit Xutho duci, & natus est ex ea Ion, quem mater infantem exposuit. Postea re prolata mater supplicium metuit, sed seruatur à Pallade. Et apud Terentium in Hecyra, Pamphilus non uult recipere coniugem, quam putat ex alio grauidam fuisse. Erant igitur in eo casu usitata diuortia. Sed addam ordine de quibusdam casibus accommodatas commonefactiones.

PRIMA.

Lex Moysi iubebat eum, qui compressisset puellam, ducere eam uxorem, & ei dotem attribuere, siue promississet coniugium, siue non promississet. ~~Sed nostra iura non cogunt te ducere à te compressam, si non promissisti coniugium, dotis tamen mentionem faciunt: Ducat aut dotet.~~ Quod idem fuit usitatum Attico iure.

SECUNDA ADMONITIO.

Fortassis ideo ab antiqua consuetudine discessit recentior ætas, quæ cogit retinere compressam ab alio, quia si liceret accusare nouam nuptam, sæpe propter suspiciones aut offensiones qualescunq; in periculum uenirent innocentes. Sæpe etiam patefierent arcana delicta, quæ
tegi

DE CONIVGIO.

tegi multo honestius & utilius est, iuxta illud: Omnia delicta tegit dilectio. Itaque gubernatores prohibere accusationes uoluerunt. Nec uituperandum est hoc consilium.

Etsi autem non fero nouas leges, tamen modeste dicere licet, quid uidetur prodesse. Primum tentanda est reconciliatio, ut is, qui errore duxit ^{recon-} cōpressam ab alio, retineat eam, ^{ciliatio.} praesertim si est modesta. Quia ex diuortio saepe magnae calamitates sequuntur, quarum habenda ratio est à iudice, & ab actore. Sin autem reconciliatio perfici non potest, sapiens iudex, cuius ea est auctoritas, ne postea mutetur sententia, imitari potest exemplum legis Mosaicae, ut de diuortio pronunciet. Notum est enim, leges forenses Moysi non pertinere ad nostras politias, sed tamen ibi conspicitur, quid Deus approbet.

Possunt igitur legum conditores suo loco hanc legem ferre, ut in tali casu, si reconciliatio non procedat, fiat diuortium. Et multo intolerabilior est error in hoc casu, quam si quis ignorans duxisset ancillam. Et possunt addi aliae rationes honestae. Sed exemplum legis Mosaicae plus munit conscientias, quam alia argumenta. Quia ex testimonio legis diuinæ certi sunt legislatores et iudices, se non facere contra uoluntatem Dei.

DE CONIVGIO.

Alius casus.

SAepe & de hoc casu quæritur: An habens uxorem, ut David, & aliam attingens, possit deinde mortuis prioribus coniugibus ducere compressam antea, cum maritus esset alterius, aut ipsa alterius coniunx. Canones prohibent coniugium in hoc casu, Prohibent item, si facta sit machinatio ad interficiendum coniugem alterius. Hæc decreta bono consilio facta sunt, ut adulteria maiore cura vitarentur. Sed exemplum Davidis ostendit, in hoc casu coniugium posse concedi, & hæc ἐπιεικεία iudex nunc quoq; uti potest, præsertim cum politici magistratus adulteria non puniunt, & Deo ualde displicent uagabundæ commixtiones.

Alia quæstio.

An liceat Christiano ducere Ethnicam,
aut alioqui dissentientem de Re-
ligione?

Prohibent Canones ducere Eth-
nicam & hæreticam, quod etiam bono con-
silio constitutum est. Quia & lex diuina prohi-
bit coniugia cum Philistæis. Sed hic quoq; nos-
se regulam necesse est: Euangelium non abolet
politias, sed concionatur de iusticia cordis, Inte-
rea in uita externa sinit nos uti legibus politi-
cis.

etis.

DE CONIUGIO.

is, non pugnantibus cum legibus naturalibus, sicut utimur diuersis dierum spacijs. Ideo Paulus expresse iubet, ut retineant Christiani coniuges, quæ uolunt in eodem coniugio manere, etiamsi non amplectuntur eandem religionem. Et addit consolationem: Sanctificatur uir infidelis per uxorem fidelem, id est, credenti usus coniugij fit mundus, id est, non displicens Deo, etiamsi coniunx de religione dissentit, sicut dicitur: Sanctificatur cibus per uerbum & orationem, id est, est concessus, non displicet Deo usus cibi. Ita mater Augustini Christiana mansit in coniugio mariti ethnici, & quidem asperi, qui postea obsequijs et uirtute uxoris motus est, ut ad agnitionem Christi flecteretur. Ac talia exempla in historijs obuia sunt plurima, quorum consideratio & nostro tempore utilis est, ne propter religionem coniuges diuellantur, qui manere in eodem coniugio cupiunt, ut sæpe propter sobolem aegrè diuelluntur, & Christianus suis obsequijs retinere beneuolentiam coniugis studeat, ne captare occasionem diuortij uideatur.

De diuortio.

Dictum est in definitione, coniugium esse legitimam et indissolubilem conjunctionem unius maris et unius foeminae. Nec du-

C A bium

DE CONIUGIO.

bium est, has restrictiones congruere ad primam institutionem. Quia Deus uoluit genus humanum non ut pecudes uagari commixtionibus, sed marem & foeminam certo ordine copulatos esse, et huius ordinis obseruatione obedientiam ipsi debitam prestare. Et hunc ordinem seuerissimis legibus sanxit, et perpetuo tristissimis poenis in toto genere humano omni tempore confusiones huius ordinis punit, ut ostendunt diluuium, deletio Sodomæ, Sybaris, Thebarum, Troiæ, & plurimarum gentium. Et huius tantæ seueritatis causa est, quod uult Deus in genere humano lucere castitatis intellectum, ut sciamus & ipsum esse mentem castam & castitatis amantem, & huius uirtutis mentione discernamus eum à naturis immundis.

Sanxit igitur statim initio, ne dissoluerentur coniugia, inquiens: Erunt duo in carnem unam, id est, inseparabiliter iuncti. Nam in hanc sententiam Dominus ipse hoc dictum citat Matth. 19. Et huic præcepto primi patres, Adam, Seth, & alij sine ulla dubitatione obtemperauerunt, & hanc doctrinam alijs tradiderunt.

Sed postea laxata ueteri disciplina, diuortia etiam recepta sunt, & cum iam ante Moysen usitata essent, permissa sunt & uoce legis Mosaicæ, sed tamen initio metæ circumdatæ fuerunt, ne priuata leuitate fierent, sed in iudicijs prius cognoscebantur cause.

SAN-

DE CONIUGIO.

Sanxit etiam lex singulari consilio, ne rursus duceretur dimissa, quæ postea alteri nupta fuit, Detestatur enim Deus confusiones libidinum.

Apud ueteres Atticos etiam consuetudo fuit, ut in iudicijs causæ diuortij cognoscerentur. Sed postea apud Iudeos & Gentes secuta est maior leuitas & licentia, et priuato arbitrio facta sunt diuortia, siue causæ graues essent, siue leues, siue nullæ. Sūt et reductæ, quæ antea dimissæ fuerāt, ut Cato petenti Hortensio cesserat Martiam, & post mortem Hortensij rursus eam sibi adiunxit. Talis leuitas occasione quæstioni præbuit Matt. 19. Prohibet igitur Dominus diuortia in eo loco, excepto uno casu, uidelicet adulterio, in quo casu persona suo scelere dissoluit coniugium, & e medio tollenda erat, Nec dissolutionis causa est persona innocens. Ideo uox Filij Dei liberat innocentem personam. Extat & alter casus 1. Cor. 7. de desertore uel desertrice.

De modo procedendi.

Non sunt autem facienda diuortia sine cognitione legitimorum iudicum, sed persona innocens, si uult fieri diuortium, petat à iudice uocari personam, quæ deliquit. Hic cum utraq; pars uenit in iudicium, primum ad-

C § hortan-

DE CONIUGIO.

hortandi sunt utrinque, ut redeant in mutuam gratiam. Si non procedit reconciliatio, pars innocens non potest cogi, ut recipiat ream.

Forma sententiae
Auditis igitur partibus, et confirmata accusatione, si accusator honestè uixit, et petit ferri sententiam, pronuncietur hoc modo: Cum persona, quæ deliquit, suo scelere dissoluerit coniugium, iudex autoritate Euangelij personam innocentem pronunciat esse liberam, et expresse inquit concedi ei, ut pro sua conscientia pie contrahat aliud coniugium.

Pontificij Canones faciunt diuortium nomine, non re, id est, non permittunt ut persona innocens contrahat aliud coniugium. Sed cum Euangelium in illis casibus concedat diuortium, intelligatur id non de inani uocabulo, sed de tali liberatione, quæ fit re ipsa diuortium, uidelicet, in quo non retineatur ligata persona innocens. Et fuisse hanc consuetudinem in Ecclesia ueteri, annotatum est ab Origene in Mattheum. Item ab Eusebio in Ecclesiastica historia, qui pag. 88. recitat historiam ex Iustino Martyre, qui scribit mulierem piam fecisse diuortium cum marito polluto flagiciosi libidinibus, et publicè accepisse libellum repudij, ut uocabant, id est, tabulas testificantes de diuortio. Et Hieronymus recitat Fabiole nobilis matrone Romane historiam,

quæ

DE CONIUGIO.

quæ propter mariti scelera fecit diuortium, & nupsit alteri. Hæc exempla meminisse utile est ad confirmandum morem iudiciorum in nostris Ecclesijs.

Si autem persona, quæ deliquit, non uenit ^{ante} in iudicium, sed aut contumaciter abest, aut in ^{gratia} ^{causa} ueniri non potest, cum accusator confirmata accusatione testes adducit, qui affirmant eius famam integram esse, & petit se liberari, pronunciet iudex eum liberum esse, ut ante dictum est.

Sed quid fiet de persona condemnata? An concedendum est ei, si adest, ut in iisdem locis uiuat?

Respondeo: Magistratus politicus adulteria puniri debet. Ideo persona condemnata, si non punitur durius, pellenda est ex ijs locis, ubi uiuit persona innocens, cui altera, uidelicet condemnata, uelut mortua existimanda est. Et hæc seueritas ad politicum magistratum pertinet.

Quis sit desertor.

In questione de diuortio liberat uox diuina personam innocentem, cum alter coniugum foedus coniugij adulterio dissoluit, et innocenti personæ re iudicata, ut dixi, conceditur contrahere

DE CONIUGIO.

here aliud coniugium, idq; hoc modo seruatur in nostris Consistorijs. Seruatur idem de persona iniuste deserta, quia paulus inquit 1. Corinth. 7. Si autem infidelis discedit, discedat, non subiectus est seruituti frater aut soror in talibus. Expresse pronunciat Paulus personam iniuste desertam liberam esse, id est, non cogendam esse, ut uagabundum desertorem sequatur.

Etsi autem aliqui restringunt hoc dictum ad casum de religione, Tamen uere accommodatur in genere ad quamcunq; iniustam desertionem, cum non sit ratio dissimilitudinis. Et consentaneum est, desertores impatientes freni coniu-
galis deinde non abstinere ab alijs mulieribus. Sed cum uariae sint cause migrationum, definiendus est desertor. Nec concedendum est desertae personae coniugium sine iudicum cognitione.

desertor Est igitur desertor, qui discedit à coniuge, aut diutius abest, nulla honesta causa coactus, sed uel leuitate, uel iniusta impatientia freni coniu-
galis, uel alijs non necessarijs causis impulsus uagatur.

Et multi adeo sunt ἀσώπιοι, qui agitantur à diabolis, ut etiam sobolem negligant. Talis desertor propter perfidiam et ἀσώπια supplicio publico puniendus erat. Ideo iustum est opem ferre personae innocenti, quae deserta est. *Accedat*

DE CONIUGIO.

dat autem, ut dixi, cognitio iudicum, uocetur ergo in iudicium, & cum non ueniet, audiantur testimonia de personæ innocentis integritate, & pronuncietur libera &c.

Non est autem desertor, qui abest officij causa, ut legatus, aut miles delectus autoritate legitima ad militandum, aut si uoluntate coniugis maritus abest in mercatu, aut alio honesto negotio.

Nec captiuitas dissoluit coniugia, nec deportatio, ut lex Alexandri Seueri in Codice de repudijs inquit: Matrimonium deportatione, uel aque & ignis interdictione non soluitur, si casus, in quem maritus incidit, non mutat uxoris affectum, id est, si non est tale scelus, quo alioqui coniugium dissolueretur.

De milite autem narrat constitutio Iustiniani in autenticis, Olim si toto quadriennio nihil significasset uxori inquirenti miles de sua uoluntate, concessum fuisse mulieri aliud coniugium. Hanc breuitatem temporis reprehendit Iustinianus, inquiens: Militi tristius esse uxorem dimittere militiæ causa, quam capi ab hostibus. Ideo sancit longius tempus, & requirit diligentem inquisitionem de uoluntate uiri. Loquitur autem lex de militia legitima, non de leuibus hominibus, qui non uirtutis & militiæ causa domo absunt.

DE CONIUGIO.

absunt, sed ut liberius uagari possint, militum et
tulum assumunt. Hoc discrimen etiam iudex con-
siderabit.

De tempore, post quod alia
coniugia concedi possunt.

SI diuortium factum est propter
adulterium, innocenti personae non praescri-
bitur tempus, postquam res iudicata est.

Si in questione desertionis annos considerari
necesse est, ut intelligatur personam uere deserta
tam esse, non leuitati aut perfidiae praetextere
umbram desertionis.

Biennium Lex in Codice concedit sponsae post bienni-
um alteri nubere, si ea non assentiente sponsus,
qui tamen non est extra prouinciam, tam diu
differt publicum ritum coniugij.

Triennium Alia lex de sponso peregrinante loquitur, de
quo concedit sponsae post triennium alteri nubere,
re, uidelicet, nisi ea assentiente diutius absit.

Mors Pontificiae constitutiones desertae personae
quantumlibet innocenti nullo unquam tempore
concedunt coniugium, nisi desertricem perso-
nam constet mortuam esse. Sed supra recitauimus
dictum Pauli ex Corinthijs, quod liberat perso-
nam innocentem, & plerunq; desertrix perso-
na simul adulterij rea est. Nequaquam igitur la-

quei

DE CONIUGIO.

Qui iniiciendi sunt innocenti personæ propter
aliena delicta. Sed intelligatur & in hoc casu li-
beratio non de mani uocabulo, & personæ libe-
ratae concedatur coniugium.

Iustinianus ~~expresse concedit coniugium de~~ ^{decan}
sertæ personæ post decennium. Glosa in capitu-
lo In presentia, in Decretalibus ita inquit: Vbi
post septennium uerisimiliter præsumitur de
morte uiri, excusatur mulier, si nubat. Ac mi-
tior est glosa, quàm textus. Sed cum iudex in-
quisiuit negocium, & comperit querelam de
desertione non esse inanem prætextum, & uidet
mores personæ innocentis honestos esse, posset
imitari legem Constantini de quadriennio, uel
dictum de quinquennio in digestis, in titulo de
diuortio.

Hæc moderatio non uidetur absurda. Nec
tamen præscribo certum tempus, sed sapiens iu-
dex simul considerabit, quid deceat exempli
causa, & ne laqueos conscientie innocentis per-
sonæ iniiciat.

De natura spadonum.

VErecunde sic nominantur illi
qui prorsus non sunt idonei ad commixti-
onem conjugalem, & nominantur spadones, siue ^{spado}
naturæ tales sint, siue arte castrati sint.

De

DE CONIUGIO.

De his sciendum est, tales personas nequaquam fieri coniuges, sed cum est explorata frigiditas, iudex pronunciet illas personas liberas esse. Nec fit tunc diuortium, quia non erat coniugium, iuxta dictum Matth. 19. Sed fit declaratio, ut alij sciant illam societatem non esse coniugium, & personæ, quæ habet naturæ vires integras, concedi aliam feliciorē copulationem legitimam. Sed ad explorandam frigiditatem iura triennium constituerunt, si res dubia est, ne ante

*Triennium
iura.*

Eodem modo pronunciant de ijs, in quibus natura ita lesa est fascino aut ueneficio, ut ope medica sanari non possit, si toto triennio frustra tentata est medicatio.

Tanta est autem uirtus aliquarum mulierum, ut occultent imbecillitatem uirorum, sicut uiri doctissimi Simonis Grynci socer narrauit, se mortua prima coniuge duxisse uiduam uirginem, quæ undecim annos nupta fuerat uiro frigido, nec unquam ulli ante mortem uiri hanc rem patefecit.

De diuortijs propter seuiciam,
ueneficia, & insidias stru-
ctas uitæ.

CVM textus Matth. 19. tantum faci-
at mentionem adulteriij, ualde pugnant
aliqui

DE CONIUGIO

aliqui, non posse fieri diuortia propter seuciam
& insidias uitae structas. Sed in Codice lex Theo-
dosij, quam existimo graui deliberatione piorum
scriptam, ut tunc usitata diuortia restringeret
ad certos casus, concedit diuortium etiam in his
casibus.

Etsi autem aliqui reijciunt hanc legem, &
contendunt eam ab Euangelio dissentire, tamen
hi non rectè intelligunt discrimen Legis et Euan-
gelij. Et cum expresse dicat Dominus, in politia
Moisi diuortia permissa esse propter duriciem
cordis, significat aliam esse gubernationem ho-
minum sanabilium qui sunt membra Ecclesiae,
& uolunt obtemperare Euangelio, aliam poli-
ticam impiorum & contumacium, qui frenos le-
gum pati nolunt. Si quis est igitur talis maritus,
qui seuciam in coniugem exercet, & admoni-
tus à Pastoribus non desinit furere, et domesticae
Ecclesiae inuocationem turbare, & uxorem ita
crudeliter tractare, ut uita in periculo sit, hic
certe magistratus politici imperio cohercendus
est, qui non solum uitam personae innocentis tue
ri debet, sed etiam debet eius conscientiae consu-
lere, ne fracta dolore & indignatione, tandem
abijciat inuocationem, aut aliquid iniuste faciat,
ut dicitur: Furor fit lesa saepius patientia. In
eo casu in persona creduli non pertinente ad Ec-
clesiam,

D clesiam,

DE CONIVGIO.

clesiam, Magistratus politicus Theodosij lege uti
posse uidetur.

Imperia politica uult Deus honori esse bonis,
& terrori malis. Vult Deus tegi eos quorum mo-
res sunt sine scelere, uult eis concedi pacem ad
Inuocationem, ad educationem & ad institutio-
nem sobolis, uult latrones reprimi siue domi, siue
foris latrocinia exerceant. Nec desunt unquam
in imperijs homines contumaces, iniusti & aso-
yoi exercentes in suos iniustam seuiciam, quales
nominat dominus in hac concione duros corde.

An propter morbos contagio-
sos & incurabiles, ut pro-
pter lepram, diuor-
tium fieri possit.
lit.

Respondeo. Plane & perspicue
adfirmo, nequaquam faciendam esse diuor-
tia propter morbos, nec deserendum esse agrotan-
tum maritum, nec deserendam esse agrotam uxo-
rem, quia semper oportet hanc Regulam esse fir-
mam & immotam: Quos Deus coniunxit, homo
non separet. Quare omnis persona uiuens, que
uolens inchoat distractionem, sine ulla dubita-
tione horribiliter peccat, ut Adultera seu deser-
trix inchoat distractionem uolens, & facit con-
tra

DE CONIUGIO.

tra hunc ordinem diuina uoce et lege sancitum.
Ita si persona recte ualens inchoaret distractio-
nem, esset similis desertrici, & adulteræ & rea
magni sceleris. Nam calamitas, quæ inter uiuen-
tes accidit sine culpa, nequaquam dissoluit con-
iugale fœdus.

Omnia igitur dicta, quæ prohibent distractio-
nem, proponant sibi homines timentes Deum.

Genes. 2. Erunt duo in carnem u-
nam.

1. Corinth. 7. Vir non habet pote-
statem corporis sui, sed uxor. Nec ux-
or potestatem habet corporis sui, sed
maritus.

Ephe. 5. Viri diligite uxores ue-
stras. Nemo carnem suam odio has-
buit, sed eam alit & fouet.

Cum igitur maneat fœdus coniugale inter
tales personas, quas non distraxit culpa, manife-
stum est, non deserendam esse egrotam perso-
nam, ac deberi ei beneuolentiam & auxilium
tanquam proprio corpori. Summus amiciciæ
gradus est fœdus coniugale. Iniustissimum est
autem in calamitate amicum deserere egentem
auxilio, & confugientem ad amici beneuolenti-
am & fidem. Quare desertio coniugis propter

D 2 calamitas

DE CONIVGIO.

calamitatem, in qua nulla est culpa, iniusta & scelerata est.

Quidam uero crudeliter disputant, Leprosos similes esse mortuis, & hoc pretextu consuleri personæ recte ualenti student. Sed hoc sophisma refutat manifesta crudelitas. Mortui nō indigent aliorum hominum auxilio, egrotata persona adhuc indiget hominum auxilio. Quare, quod ad ueræ amiciciæ officia attinet, nondum est mortuæ similis. Adhuc est caro tua, adhuc lex diuina tibi concionatur. Nemo carnem suam odio habuit. Et autoritate Magistratum cogenda est persona recte ualens, ne deserat egrotam, & ne negligat eius uitam, sed ferat opem egrotanti. Etsi autem uidetur aliquibus hæc sententia durior, tamen iustam esse omnes bonæ mentes intelligunt. Si quis autem maritus pius indiget consilio, interroget Pastores eruditos & graues, & recte intelligentes doctrinam Ecclesiæ. Potest enim responderi ne perplexitate implicetur conscientia, & ne fides & inuocatio in uiro interrogante impediatur.

De desponsatione impuberum.

Multum refert recte intelligere sermonem

DE CONIUGIO.

Sermonem uetusti Iuris. Vetustas nominat sponsalia tantum eas promissiones, in quibus fiunt pacta de futuro coniugio, & quæ nequaquam sunt initium præsentis coniugij, ut inter Octauium adolescentem, & Seruiliam adhuc paruulam, fiunt sponsalia, Ibi tantum hoc agitur, ut aliquanto post per uerba de præsentis coniugium constitutur.

Sponsalia ad.

De his sponsalibus inquirunt uetustæ leges, uoluntate partium dissolui posse sponsalia, ut Octauius non duxit Seruiliam. Hic obseruandum est, quomodo uetustas locuta sit. Recentior ætas finxit ambiguitatem, nominat alia sponsalia de futuro, alia de præsentis, cum contractus in quo per uerba de præsentis seu categorice promittitur coniugium, Si iam uere initium coniugij præsentis.

Prudenter autem considerandum est, ubi sint sponsalia de futuro, nec id ex cauillatione uerborum iudicetur, sed ex multis circumstantijs, an tunc uoluerint partes aliquid constituerre, quòd postea non posset mutari propter grauem causam, cuius tunc fortassis ratio habita est.

Sunt autem sponsalia de futuro, promissiones omnes quibus addita est conditio honesta

Sponsalia de futuro

DE CONIUGIO.

cuius ratio in iudicando habenda est, ut, *Ducant*
te, si parentes adsenserint.

Tales promissiones irritas esse, si conditioni
non fuerit satisfactum, supra dictum est.

Sunt & sponsalia de futuro, quando nomine
impuberum fit promissio à parentibus uel tuto-
ribus, de coniugio contrahendo inter hos impu-
beres, cum ætas erit idonea, aut cum ipsi impu-
beres, uel altera persona, cuius ætas nondum est
idonea coniugium futurum promittit.

Hæc sponsalia dissolui posse, cum deinde uo-
luntas puberum non accedit certum est. Nec cogenda est persona repugnans, quæ se non obli-
gavit ipsa postea, cum ætas iam matura esset
coniugio, & suo iudicio statuere posset.

Vt autem homines alijs multis rebus bonis
abutuntur, ita & coniugij umbra sæpe stultis
aut malis cupiditatibus prætextitur, sæpe pro-
pter pecuniam, aut præsidia fiunt pacta de im-
puberum coniugijs, cum in hoc tanto foedere per-
petuæ coniunctionis honestum iudicium, & mu-
tua beneuolentia horum ipsorum qui iungun-
tur, requiri & ualere debeant, nec deceat corpo-
ra natorum uenalia esse propter pecuniam aut
alia πλεονεκτήματα. Et punit Deus hanc or-
dinis deprauationem pœnis manifestis. Quare
parentes honesti considerantes ordinem diuinum,
salutem

DE CONIUGIO.

Saluti filiorum & filiarum recte consulant, nec cogant filios aut filias contra naturæ inclinationem ad coniugia à quibus abhorrent, eaq; in remoueantur his maximis causis. Vbi non est mutuus amor coniugum, ibi discordia sauciat mentes, impedit inuocationem Dei, turbat totam domesticam consuetudinem, & parit multa peccata. Interdum & cum uoluntates distractæ sunt, sequuntur adulteria et pœnæ, in quibus multi ruunt in noua scelera, & in tragicas calamitates.

Hæc infinita mala præcipuè parentes qui ea aliquo modo intelligere possunt, considerent, & metuant, & ne accidant filijs & filiabus, Deum ardentibus uotis precentur. Deinde ipsi caueant ne stultis aut impijs consilijs ea accersant.

In multis deliberationibus nimis magna negligentia & futilitas est parentum de coniugijs suorum. Vnde postea & tristissimæ calamitates sequuntur, & familie fiunt non Ecclesie Dei, quod esse debebant, sed diabolorum lustra, et multi miseri homines in illis calamitatibus ruunt in indignationem aduersus Deum, in desperationem, & in æternum exitium.

ORO autem Deum æternum Patrem Domini nostri IESV Christi conditorem generis humani, & custodem honestæ societatis, ut ipse

D A NOS

DE CONIUGIO.

nos gubernet, & faciat ut nostra coniugia & familia nostra sint uerae domesticae Ecclesiae, ipsum recte inuocantes, & ei obtemperantes in tuendo ordine quem instituit, nec sinat domesticis discordijs impediri inuocationem & alia officia necessaria, Amen.

De officio Magistratus in tuendis legibus coniugij.

Certissimum est salutarem gubernationem Dei opus esse. Ac manifestum est diuinitus institutum esse hunc ordinem in genere humano, ut praesint Magistratus multitudini, Et his Deus praecipua officia quatuor attribuit. Primum est, ut Magistratus sonet uocem legis diuinae in tuenda disciplina, quia prima & immota norma uitae esse debet lex diuina. Secundum, ut sit uigilans custos diuinae legis, ac seueritate poenarum coherceat & puniat contumaces, & defendat obediētes. Hunc ordinem ita sanxit Deus. Et manifestum est leges contemni, ubi nulla sunt poenarum exempla. Sicut uere laudat dictum Aeschini Demosthenes: *δυσδ' ἐμ' ὄφελος τῆς πολιτείας μὴ ἔχουσης νεῦρα κατὰ δίκοντων.*

Tertium officium est, Magistratus addere po
test

DE CONIUGIO.

est aliquas leges diuinis, nequaquam tamen dis-
sentientes à diuinis, sed quæ sint adminicula, ut
diuinæ maiore cura seruentur.

Quartum, ut & has leges seueritate pœna-
rum tueatur.

Hæc officia Magistratus & in coniugij de-
fensione considerent. Sciant seuerissimis manda-
tis Dei præcipi, ut leges coniugiorum conser-
uent, & puniant adulteria, uagas & incestas li-
bidines, & tollât è medio illa dira portenta, quæ
& iram Dei irritant & polluant genus huma-
num tetræ libidinum confusionibus, quia certis-
simum est Deum horribiliter irasci, & ipsis li-
bidinum conf. sionibus & negligentie guberna-
torum qui eas non puniunt, nec fontes è medio
tollunt. Et propter hæc scelera uagantur in ge-
nere humano multæ pœnæ publicæ, bella, uasta-
tiones, dissipationes hominum, & aliæ magnæ ca-
lamitates, ut ostendunt exempla Sodomorum, Ca-
naneorum, tribus Benjamin, exilij Dauidis, euer-
sionis Troiæ, & alia innumerabilia. Sic igitur
inquit uox diuina Leuit. 18. de incestis: Cauete,
ne uos similiter euomat terra, cum similia facie-
tis, sicut euomuit Cananeos. Et expresse guberna-
toribus præcipit, ut tollant fontes, inquit: Om-
nis anima quæ fecerit quiddam harum abomina-
tionum, deleatur ex hoc populo.

D 5 Hæc

DE CONIVGIO.

Hæc mandata sepe repetita sunt, ut de adulterijs dicitur in Deuteronomio cap. 22. Si dormierit uir cum uxore alterius, uterq; interficiatur, adulter & adultera, Et auferes MALVM ex Isracl. Dolendum est autem in multis locis magistratus in hac tanta re segniores esse, quorum negligentia magis irritat iram Dei. Atq; ita pœnæ in genere humano cumulantur, ut adparet in historia tribus Beniamin, quæ pene fuditus deleta est, quia stuprum uxoris Leuitæ punire noluit.

Certissimum est enim Deum punire uagas libidines omnes, etiam cum cessant Magistratus, quia castitas & iusticia Dei immota est, & hanc regulam semper tuctur, Scortatores & adulteros punit Deus. Quanquam autem conuersis Deus propter Filium pœnas mitigat, ut Dauidens non fuit prorsus extingui, nec accendit totam iram, ut Psalms uerbis utar, tamen quanta sit moles pœnarum considera. Familia polluitur incesta commixtione, Filij inter se dimicant, Pater in exilium pellitur, Mota seditione filius & magna multitudo ciuium interficiuntur, Matrone regie Deo dilectæ polluuntur scelere filij. Multo tristiora erant hæc tetra mala Dauidi, quam mors sui corporis futura erat. Sed utrunq; ostendit Deus, uere se irasci sceleribus, & ea punire,
& tæ

DE CONIVGIO.

Et tamen ab æternis pœnis eripere eos qui ad Filium Mediatorem confugiunt, in quem maior pœna deriuata fuit, quæ est precium pro nobis.

Hæc doctrina et de pœnis et de conuersione omnibus cogitanda est. Ac hortandi et obtestandi sunt Magistratus, ut sint memores mandati à Deo officij, cogitent Deum castum et iustum esse, et sese in munere diuino collocatos esse, ut sint imago Dei, sint casti et iusti, et tueantur in populo castitatem et iusticiam. Hæc officia sunt grata Deo, et salutaria gubernatoribus et populo.

In multis regionibus politici gubernatores ideo negligentiores sunt in defensione castitatis, quia magna ex parte hanc curam reijciunt ad forum Episcoporum. Sed cum alia quaedam ibi contra normam à Deo traditam fiunt, tum uero ipsorum leges impediunt iustas pœnas, quia non sunt armati gladio. Præterea cum ipsi iudices ibi plerunque contaminati sint uagis libidinibus, minus irascuntur similibus, ut dicit Aristoteles citans Euripidem, οἱ φαῦλοι φαυλοῖς ἄδεις, καὶ κακός κακῷ σωτέτκηερ. Interdum à miseris mulierculis aliquid abradunt pecunie. In talibus iudicijs tantum irridetur Deus.

Sint

DE CONIUGIO.

Sint igitur recte constituta iudicia de Coniugij. Potestas politica adiungat sibi doctos & honestos uiros electos ex toto corpore Ecclesie, & rebus inquisitis & recte cognitis, pronunciet, & in puniendo sit ministra Dei, tollat ex uita omnes pollutos commixtionibus, quae cum natura pugnant, incestos, adulteros, raptores, desertores, adulteras, & desertrices, ne Deus totas urbes & gentes & propter haec ipsa scelera & propter Magistratum negligentiam deleat.

Ostendant etiam honesti gubernatores amorem castitatis in defensione coniugij. Aboleant impias & diabolicas leges Episcoporum de Celibatu sacerdotum, & concedant pium coniugium omnibus qui ad id uitae genus idonei sunt, iuxta legem diuinam:

**Vnusquisque habeat uxorem suam,
uitandae scortationis causa.**

Magistratus cum sit imago & minister Dei, amet castitatem, cum sciat Deum esse mentem castam & seuerissime poscere ordinem castitatis tuendae causa institutum. Non sit imago & minister diaboli, qui odio Dei miseros homines impellit, ut libidinum confusione polluantur, ut ira Dei ageatur, & ut haec misera creatura in maiore

DE CONIUGIO.

iore turpitudine sit, & postea ruat in aeternum exitium. Hos horrendos furores diaboli adiuuant omnes, qui uagas libidines quoquo modo auget, uel defensione legis Pontificiæ de celibatu, uel neglectione pœnarum. Nondum in hac uita turpitude & magnitudo horum scelerum satis conspicitur, sed retegentur hæc ingentia mala in postremo iudicio, cum ostendet Deus omnibus Angelis & hominibus turpitudinem peccati, & maliciam diabolorum. Sed tamen in hac uita gubernatores honesti & pijs de hac re etiam uoluntatem Dei considerare debent, & dirigere gubernationem ad legem Dei, & quantum fieri potest curare ne cumulentur peccata & pœnæ, ut apud Esaiam dicitur:

Væ illis qui scribunt leges iniustas,

ORO autem Filium Dei Dominum nostrum I H E S V M Christum crucifixum pro nobis & resuscitatum, uerissime amantem castitatis & casti coniugij, ut ipse flectat mentes omnium qui eum inuocant ad castitatem, & defendat Coniugij leges, & reprimat diabolos, qui odio Dei impellere miseros homines conatur, ut uarijs modis polluantur et pereant. Crescit infirmitas naturæ humanæ in hac
mundi

DE CONIVGIO.


mundi senecta, & simul rabies in diabolis cre-
scit, quia sciunt breui instare iudicium, in quo
ipsorum turpitude omnibus Angelis & homini-
bus, clare ostendetur. Ideo te Fili dōme Dei Iesu
Christe crucifixe pro nobis & resuscitate oro,
ut nos, ut adolescentiā, ut familias nostras regas,
& ad castitatem & ueram inuocatio-

nem eterni Patris pectora no-

stra Spiritu sancto tuo

flectas, Amen.

τέλϞ.



ET 1477

100



Handwritten text in a cursive script, possibly a list or account. The text is partially obscured by a large ink blot.

Handwritten text in a cursive script, possibly a list or account. The text is partially obscured by a large ink blot.

AB: 40 $\frac{21}{214}$

Handwritten text in a cursive script, possibly a list or account. The text is partially obscured by a large ink blot.

So.


ULB Halle 3
002 630 826






IN OBEDIENCIA VN. HOMINIS OMNIS PECATI





DE CONIV-
GIO PIÆ COMMOR

NEFACTIONES, COL-
LECTÆ A PHILIP-
PO MELAN-
THONE.



DE COMEDENTI

DE FORTI.



EXIVIT CIBVS,

ET DULCEDO

V V I T E B E R G Æ

EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

M. D. LIII.

